



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Jacobi Lobbetii Leodiensis E Societate Iesv, De Fortitvdine Et Constantia Christiana Libri Tres

Lobbet de Lanthin, Jacques

Leodii, 1640

§. 5. Nonnulla subsidia ad patiente[m] quarumuis iniuriarum
possessionem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49140](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49140)

Hoc si assequaris, mi Lector, si tuâ te virtute semper inuoluas, nullus vnquam euoluet, nedum euer- tet casus.

§. 5.

Nonnulla subsidia ad patientem qua- rumuis iniuriarum possessionem.

IN ijs, quæ nos circumueniunt, vrgentq; malis, plerumque plus damus opinioni, quâ veritati: quod in conuitijs, atque iniurijs maxime euenire solet: in his sæpe plus opi- nione premimur, quàm vero dâno.

Plura sunt, inquit Seneca, quæ Ep. 13. nos terrent, quam quæ premant, & sæpius opinione, quam re laboramus. Cito accedimus opinioni. Non coar- guimus illa, quæ nos in metum ad- ducunt, nec excutimus, sed trepida- mus. Nescio quomodo magis vana

T 3

per-

perturbant. Vera enim modū suū habent. Hęc Seneca, cuius pronunciatum maximè verum est in iniurijs, quæ bonam famā impetunt.

In eam hostis tuus incurrit verbulo, & linguâ petulante, credis ab eâ multum tibi inferri damni: opinaris sinistram de te alijs ingere opinionem: & tamen ex vero calumnijs illis, quæ in te iactantur, magis vapulant inanes auræ, quam aures mortaliū: quia plerumque illis nulla habetur fides: ideoque tollendus etiam metus, qui in te ex ijs suboritur; quia, vt pulchrè Seneca. *Nulli tam perniciosi, tam irrevocabiles, quàm lymphatici metus sunt. Cæteri enim sine ratione, hi sine mente sunt, & ij quandoque & sæpius sunt, qui è conuitijs malè fufis in nobis enasci solent.*

Verūm

Verum concedamus illud; ab illis verum damnum importari, & lacerari apud alios famam nostram; quantum istud est malum? tantum, quantum à nebulâ soli obiectâ.

Solis vis, & lux integra est, etiã inter opposita; & quamvis aliquid interiaceat, quod nos prohibeat eius aspectu, tamen in opere est, cursu suo fertur. Quoties inter nebula luxit, nõ est sereno minor, nec tardior quidem quoniam multum interest, utrum aliquid obstet tantum, an impediatur. Eodem modo virtuti opposita nihil detrahunt, non est minor, sed minus fulget. Nobis forsitan non æquè apparet, ac nitet; sibi eadem est, & more solis obscuri, in occulto vim suam exercet. Hoc itaque aduersus virtutem possunt calamitates, & damna, & iniuria, quod ad-

uersus solem potest nebula. Sicuti ergo si soli sua mens esset, ac intelligentia, non excandesceret, non efferreretur impete quodam, æstuque passionum, ex eo quod aspiceret oppositam sibi, suisque radijs nebula: quia ab illâ nihil omnino sibi decedere sentiret: sed potius alijs, & huic mundo sublunari: Ita fortis, & generosus animus, cum audit sibi, suoque nomini, ac bonæ famæ, cœli soli obtrudi dēsam aliquā calumniæ nubem; ne ferat iniquius, ne exardescat irâ, ne in cœrore se conficiat, satis conscius innocentia suæ, ac virtutis, cui sua lux illibata, suus semper est splendor, & idem omnino cursus ad æternitatem.

Quod sum, inquiebat olim Nazianzenus, hoc maneo, siue maledictis afficiar, siue laudibus in cœlum ferar.

*ferar. Quantum petram spuma, aut
pinum auræ, tantum me linguæ cir-
cumfluunt.*

Orat.
14. n. 15.

A duobus similitudinem petit
inconcussæ mentis. Primum qui-
dem à spumâ, & salivâ æstuantis
oceanî, quæ cum sit auræ, vento-
rumque ludibrium, huc, illucque
iactatur, & si ad petram appellit, il-
lico frangitur, ac dissilit.

Alterum propositæ similitudi-
nis caput est à pino, aliaue arbore
procerâ, quæ cum altis hæreat in-
fixa radicibus tumultuâtes ventos,
& nequicquam frementes Euros
iminota ridet.

Sic iustus omnis, ceu petra in
medio huius vitæ oceano, auras
temnit, & æstus, spumamque, si
forte incurrerit, dispergit, sua sem-
per mole constans: ceu etiam alta

T S pinus,

pinus, quæ ventis concuti potest,
 excuti omnino, aut suâ sede locouē
 moueri non potest; quia aduersus
 hæc omnia suâ semper virtute se
 inuoluit, ac tuetur. Secum enim lo-
 quitur, secum agit, tacitisque cogi-
 tationibus se reuocat ad forum ani-
 mi, proponitq; illud ipsum, quod
 olim sibi D. Nazianzenus. In *mir-*

Supra.

rijs quicquam, inquiebat, huiusmo-
di mecum ipse commentor. Si falsa
obijcit accusator, non me magis
quam eum, qui loquitur, hæc oratio
tangit. Si vera, me ipsum potius
quam eum, qui loquitur, accusabo. A
me enim illa sermonis materia sub-
ministratur, non autem illius sermo
causa est, quod talis sim.

Eodem omnino clypeo se regit
 Simplicius aduersus emissâ verbo-
 rum iacula; neque vero, inquit, rem
 grauem

graue[m] esse contumeliam inde constat. Aut enim verum est crimen, aut In En-
chi. c.
37. falsum: si verum cur molestè ferimus Veritatem? cur facere non piget, audire piget? si falsum, ille, qui mentitur læditur.

Iisdem etiam rationibus se ipsum, suosque asseclas erexit Seneca.

Ad contumelias, inquit, despicendas, non sapienti opus est viro, sed tantum conspicienti, qui sibi possit dicere. Vtrum merito ista mihi accidunt, an immerito? si merito non est contumelia, Iudicium est. Si immerito, illi, qui iniuriam facit, erubescendum.

Hæc eleganter, & neruosè Seneca, in libro ad Serenum, quod in sapientem non cadit iniuria, è quo tibi pauca reddam, beneuole Lector, atque ex eius scriptis velut areolis
floscu-

302 DE FORTITVDINE
flosculos legam, & apis matina
more, modoque mella libabo.

§. 6.

In Sapientem non cadit iniuria.

SToici virilem ingressi viam,
pronuntiarunt sapientem terris
eripi oportere, & velut in editum
verticem educi, adeoque extra om-
nem teli iactum surgere, & supra
fortunam eminere.

Atque cum fuisse volunt Cato-
nem, qui cum ambitu congressus
multiformi malo, & cum potenti-
ae immensa cupiditate, quam to-
tus orbis in tres diuisus satiare non
poterat, aduersus vitia ciuitatis de-
generantis, & pessum suam molesti-
dentis, stetit solus, & cadentem Rem
publicam, quantum modo vna
manu retrahi poterat, retinuit, do-